



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1844

XIV. Graf Ulrich vereignet gewisse Hebungen aus Langen zur Stiftung eines Altares der Elendengilde in der Pfarrkirche zu Neuruppin, im Jahre 1355 mit Genehmigung des Bischofes Burchard von Havelberg, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54407](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54407)

XIII. Bischof Dieterich von Havelberg verleiht denjenigen, welche an bestimmten Festtagen die St. Nicolai-Kirche zu Neuruppin besuchen, einen Bußerlaß im Jahre 1330.

Thydericus, Dei gratia Havelbergensis Ecclesie Episcopus, univcrsis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum advenerit, Salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cupientes fidelem populum ad actus devocionis ferventius incitare, De omnipotentis Dei misericordia et Beatorum petri et pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unicuique vere penitenti et contrito, qui in festo exaltationis sanctissime et victoriosissime crucis, nec non in die festivitatis Beati Nicolai Episcopi et confessoris, ecclesiam ejusdem in civitate Ruppin devote visitaverit, pro fidelibus vivis et defunctis Dei clementiam humiliter petiturus, Quadraginta dies indulgentie de iniunctis ei penitentiis, in Domino misericorditer relaxamus. Datum Anno Domini MCCCXXX. feria sabbati infra octavam Nativitatis Christi.

Nach Bratring's und Feldmann's Abschriften.

XIV. Graf Ulrich verleiht gewisse Heubungen aus Langen zur Stiftung eines Altars der Elendengilde in der Pfarrkirche zu Neuruppin, im Jahre 1355 mit Genehmigung des Bischofes Burhard von Havelberg, vom Jahre 1356.

In nomine Domini Amen. Nos Ulricus, Dei gratia Comes in Lindow, ad singulorum notitiam tam presentium quam futurorum presentes inspicientium cupimus devenire, lucide protestantes; Quod constituti coram nobis validi viri Hinricus Poppentin advocatus, Conradus et Nicolaus ejus filii, famuli, nostri fideles et dilecti, Resignaverunt ad manus discreti viri domini Nicolai, rectoris ecclesie in Buschow, quattuor frusta reddituum cum dimidio, provenientia singulis annis de tribus mansis, adjacentibus ville Langen, comparata per eundem dominum Nicolaum ad altare fraternitatis sive Gilde Exulum, fundandum in ecclesia parochiali nove civitatis Ruppin, quos quidem mansos colunt videlicet Tidicke Verdeman, Arnoldus Smedt et Herme de Valkenhagenn unum et dabunt de eo annuatim dimidium chorum siliginis et totidem ordeï, sex solidos de precaria, tres solidos pro censu mansorum et novem solidos de censu paludis. Item de curia, quam pro nunc inhabitat quidam dictus Wolterus, de uno manso dimidium chorum siliginis, totidem ordeï, sex solidos pro precaria et tres solidos de censu mansorum. Item de curia Bernardi Ottonis ibidem etiam dimidium chorum siliginis et totidem ordeï et tres solidos de censu mansorum absque precaria. Nos igitur hujus salutaris operis cupientes esse participes, antedicto domino Nicolao de Buschow ad usum dicti altaris vendidimus, dedimus et donavimus et presentibus nihilominus vendimus, damus et donamus omnimodam proprietatem*) antedictorum reddituum superius distinctorum cum omni jure, utilitate, libertate et fructu perpetuis temporibus duraturam. Pro qua quidem proprietate idem Dominus Nicolaus tantum nobis in ponderata pecunia persolvit, quod contenti sumus. Renunciamus itaque solemniter predictorum reddituum successioni et proprietati nobis et nostris successoribus — — competentibus in futurum. Insuper personam presentandi et jus patronatus, quoties dictum altare vacaverit vel vacare contigerit, magistri dicte fraternitatis sive Gilde exulum, qui pro tempore fuerint, perpetue reservabunt. Ut igitur nostra donatio fida maneat et firma, presentem dedimus literam desuper confectam, Autentico nostro sigillo

*) Sclm. perpetuitatem.

communitam. Datum Reppin, Anno domini MCCCL. quinto, in vigilia nativitatís ejusdem, Presentibus Domino Henningo de Lo milite, Arnoldo de Ikendorp, Rigberto et Hermanno dictis de gulen, famulis, Et Domino Nicolao de Spadiz, nostro notario, et pluribus aliis fide dignis ad hec vocatis in testimonium veritatís.

Nos Burchardus, Dei gratia Havelbergenfis ecclesie episcopus, presentem litteram in singulis suis articulis et membris, prout justa fuerit, in nomine Domini confirmamus. Datum in Nova Ruppin, Anno Domini MCCCLVI, feria quarta ante dominicam palmarum, sub testimonio nostri sigilli majoris hijs appensi.

Nach Bratring's handschr. Urkunden-Sammlung.

XV. Vergleich zwischen dem Stadtrathe zu Neuruppin und der Elendengilde daselbst über das Einsammeln von Almosen, das Begräbniß der Armen und über die Beschaffung des Weines und der Hostien auf ihrem Altare, vom Jahre 1360.

Cum hominum memoria continue defluat — expedit, ut acta sub tempore, ne simul cum ipso defluant ab hominum reminentia, scripti robore ac testibus obtineantur. Nos igitur Petrus de Lyndow, Johannes Wedegonis, Hermannus Witte, Johan Paschedach, Thidericus Pricerwe, Nicolaus Rostuscher, hoc anno consules in Ruppyn, ad perpetuam rei memoriam notum fieri cupimus tam presentibus quam futuris, quod oportunitate captata, consilio prudentiorum nostre civitatís communicato, concordavimus et ad finem perpetue duraturum placitavimus cum dilectis nostris concivibus Fraternitatís exulum in hunc modum. Quod postpositis omnibus erroribus et diffencionibus, hactenus inter nos et ipsos habitis, jam dictis Fratribus exulum et eorundem Fraternitati pio favore concedimus et donamus tabulam ac omnes elemosinas, per ipsos exulum nomine petitas, cum omnibus fructibus de predicta tabula cedentibus, quibus uti debent in perpetuum ad altare, in Ecclesia parochiali fundatum et dotatum per eosdem. Ad recompensam vero jam dicti beneficii, dictis Fratribus per nos exhibitis, Ipsi et eorum successores debent funera pauperum et exulum sepelire, et hoc magistris Fraternitatís fideliter procurabunt. Preterea sciatur, quod predicti Fratres ad precacionem nostram provisoribus ecclesie parochialis III marcas argenti brand. ad usum ejusdem ecclesie (erogabunt) et ipsi provisores quicumque fuerint ad predictum Altare Fratrum exulum partes panum et vinum ad consecratam hostiam perpetue ministrabunt. Ut igitur hec ordinacio vigorem obtineat sempiternum ipsam in scriptulam etc. — Testes prescriptorum articulorum sunt honesti viri h. quasi, Ar. Pricerwe, Albertus de Aken, Wichman Glude, Johan Oldendorp cum pluribus fide dignis. Actum Anno domini MCCCLX in vigilia penthecostes.

Nach Bratring's handschr. Urkunden-Sammlung und Lampe's Mittheilungen.

XVI. Statut des Rathes zu Neuruppin für die Schuhmachergilde, vom Jahre 1360.

Nos — hoc anno Consules nove Ruppin, ad tollendum quemlibet oblivionis errorem et ad perpetue memorie roboris firmitatem, scire volumus tam posteros quam presentes, quod, antecedente